

Peter Wasmund Jodocus Behr von

## **Collegii Imperialium Institutionum Disputatio Ordinaria VII. De Testamentis Ordinandis**

Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730622150>

Druck Freier  Zugang



R. U. für 1672

Peter Wasmundt. fa

resp. Jodocus von Deren



COLLEGII  
IMPERIALIUM INSTITUTIONUM  
DISPUTATIO ORDINARIA VII.  
DE  
TESTAMENTIS  
ORDINANDIS,

Quam  
DUCE JEHOVA  
In illustri Academia Megapolensi

PRESIDE  
PETRO VVASMUNDT  
Megapolitano.

Collegiis suis exoptatissimis, private exercitationis gratia,  
hora & loco consuetis, discutiendam  
exhibet,

JODOCUS Von Beren  
Lubecens.

Ad diem 27. Iunij.




ROSTOCHII  
TYPIS JOACHIMI PEDANI  
ANNO M. DC. XII.

REV E R E N D I S,  
NOBILIBVS, CLARISSIMIS,  
*prudencia & auctoritate  
gravissimis*

Dominis Residentibus atque  
adeo Capitularibus celeberrimæ  
Lubecensium cathedræ,  
Canonicis,


*Dominis suis gratiosis,  
Patronis observandis,  
Mæcenatibus colendisissimis,*



Hoc disputationis exercitium  
humilima dedicatione

*Offert  
Consecrat  
Dedicat*

Respondens.



*Lauden 1204*

\* \* \* \* \*

# Disputatio DE TESTAMENTIS.

## THESIS I.



Mne jus quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Parum quippe est jus nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur, *S. ult. Inst. de I. N. G. & C. l. 1. & 2. ff. de stat. hom.* De personis tamen hic nihil.

### I I.

Cognitio juris rerum in eo consistit, ut percipiamus rerum ipsarum naturam, qualis illa in jure est, quænam privati cujusq; esse, fieri vel possunt, quæ non: & quot modis illæ quæ possunt, cujusq; sint aut fiant.

### I I I.

Quæ esse possunt, sunt aut dominij aut obligationis jure, *l. 1. C. de R. V.* easq; vel Jure gentium, vel jure Civili acquirimus, *S. 11. Inst. de R. D. l. 1. ff. de acquir. rer. dom.*

### I V.

De modis ex Jure gentium jam non agemus, de quibus potest videri Justinianus. *l. 1. Inst. de R. D. & ibi Dd.*

### V.

Jure Civili acquiritur dominium, aut rerum singularum, aut per universitatem, *S. ult. Inst. per quas person. Cuiq; acquir.*

### V I.

Singularum rerum acquisitio regulariter fit usucapione & donatione. Hos modos sicco jam præterebimus pede,

VII.

Universarum rerum acquisitio fit per hereditatem, quæ nihil est aliud, quam successio in universum jus quod defunctus habuit, *l. 24. ff. de V. S. l. 62. l. 128. §. 1. ff. de R. I.*

VIII.

Defertur vero hereditas, vel ex testamento, vel ab intestato, *§. ult. Inst. per quas person. Cuiq; acquir. l. 1. ff. de petit. hered.*

IX.

Omissa tamen altera hereditatis specie, de ea, quæ ex testamento ad nos pertinet, hoc tempore, videbimus.

X.

Ubi statim testamenti de nominatio occurrit investiganda, quod appellatum accepimus, à testatione mentis, eò quod testantis mentem ejusq; animum & voluntatem contineat, *pr. Inst. de test. ord.*

XI.

Et definitur à Modestino quod sit voluntatis nostræ justa sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, *l. 1. ff. qui test. fac. poss.*

XII.

Justam sententiam hic eam esse arbitramur, quæ secundum regulas juris de testamentis ordinandis exposita est, *l. 4. in fin. ff. qui test. fac. poss.*

XIII.

Cæterum cum in omni testamento, ut monet Gajus in *l. 4. ff. qui test. fac. poss.* id imprimis animadvertere debeamus, an is, qui fecerit testamentum, habuerit testamenti factionem; deinde si habuerit, an secundum juris Civilis regulas sit testatus: methodi lex requirit, ut primò de personis testamentum condere valentibus, deinde de ipso testandi modo dispiciamus.

Edictum

#### XIV.

Edictum vero de testamenti factione cum prohibito-  
rium sit, ideo testamentum facere omnibus quasi per regu-  
lam, tam masculis, quam fæminis, *l. 5. ff. qui test. fæ. poss.*  
tam paganis, quam militibus, *2. r. Inst. ff. & C. de testam. milit.*  
permittitur, nisi expressè & specialiter aliqui prohibean-  
tur, *Sichard. ad Rubr. C. qui test. fæ. poss. n. 2.*

#### XV.

Prohibentur autem quidam Natura, quidam Lege.  
Natura, ob defectum animi vel corporis.

#### XVI.

Ob defectum animi, vel ratione ætatis, ut impubes; vel  
casus alicujus, ut furiosus, mente captus, *§. 1. Inst. quib. non  
est permiff. test. fæ. l. 19. l. 16. §. 1. ff. qui test. fæ. poss.* prodigus  
*§. 2. Inst. quib. non est permiff. test. fæ. l. 18. pr. ff. d. i. qui test.  
fæ. poss.*

#### XVII.

Quod de furioso dictum est, verum est, nisi dilucida  
intervalla habeat, vel testamentum ante furorem fecerit.  
furor enim superveniens testamentum non infirmat, *d. §.  
1. Inst. quib. non est permiff. test. fæ. l. 9. C. qui testam. fæ. poss.*

#### XVIII.

In hoc convenit prodigus cum furioso, quod & ipsius  
testamentum, ante prohibitionem à lege factam condi-  
tum, subsistat, *§. 2. Inst. quib. non est permiff. test. fæ. l. 18.  
pr. ff. qui test. fæ. poss.*

#### XIX.

Ob defectum corporis prohibetur quis testari, si talis  
sit, qui actiones ad testamentum faciendum necessarias au-  
ferat, quod accidit muto & surdo simul natura, *l. 10. C. qui  
test. fæ. poss.*

#### XX.

Si vero discreta sint hæc vitia, vel ita conjuncta, ut casu  
homo



homo in eam calamitatem incidere: modo surdus articulatè loqui, & mutus scribere possit, testamenti factionem ex Justiniani constitutione habent, *d. l. 10. C. qui test. fac. poss.*

XXI.

Cæcus testari quidem potest, adhibitis tamen majoribus solemnitatibus, præscriptis in *l. hac consultiſſima 8. C. eod.*

XXII.

Ad quas tamen non referimus, ut heredis institutio legatis præponatur. *Vid. Treutl. p. 2. disp. 10. th. 3. lit. f.*

XXIII.

Hinc liquet Eunuchos, & parte aliqua corporis mutilatos, testamentum condere non prohiberi, *l. 5. C. qui test. fac. poss. l. 10. ff. eod.*

XXIV.

De natura hætenus. Lege prohibetur quis testari, primò propter potestatem, *ut filiusfam. pr. Inst. quib. non est permiss. test. fac. l. 6. l. 19. ff. qui test. fac. poss. l. pen. C. eod. Servus, d. l. 19. l. 20. §. 7. ff. d. t.*

XXV.

Quod de filiofam. dictum est, procedit quo ad profectitium & adventitium peculium: Castrense enim & quali castrense quod attinet, de utroq; liberam habet ut Paterfam. disponendi facultatem, *pr. Inst. quib. non est permiss. test. fac.*

XXVI.

An vero filiusfam. de illo peculio adventitio, cujus ususfructus patri non quæritur, *l. 7. C. de bon. qua lib. per testamentum disponere possit, ancipitis est quæstionis? Quod negand. existimam.*

XXVII.

Ingressi monasteria quia ipso ingressu se suaq; Deo dicant, ideo testari amplius non possunt, *Authent. ingressu C. de*

*C. de SS. Eccles. c. quia c. si qua mulier §. nunc autem 19. quest. 8. Nov. 5. c. 5.*

XXVIII.

Si tamen, antequam monasterium ingrederentur, testamentum fecerunt, per ingressum non rumpitur, *d. Nov. 5. c. 5. Nov. 76. Fach. 6. cont. c. 14.*

XXIX.

Deinde lege prohibetur testari ob statum quem non habet, ut captus ab hostibus, *§. fin. Inst. quib. non est perm. test. fac. l. 8. pr. ff. qui testam. fac. poss. obfel. l. 11. ff. d. e. deportatus, l. 8. §. 1. & 2. ff. cod. peregrinus: Cui tamen testamenti factio conceditur ex Authent. Omnes autem peregrini C. comm. de success. de statu suo dubitans, l. 14. §. 1. seq. ff. qui test. fac. poss.*

XXX.

Ab hostibus capti testamentum non valere diximus, illud tamen procedit de testamento faciendo, non vero facto. Si enim dum adhuc in civitate esset testamentum fecit, valet jure postliminij si reversus fuerit ab hostibus; si vero illic decesserit, valet ex l. Cornelia, *§. fin. Inst. quib. non est perm. test. fac.*

XXXI.

Ad ultimum supplicium condemnati jure veteri testamenti factionem non habuerunt, *l. 8. §. fin. ff. qui test. fac. poss. an vero illud jure novo correctum sit, ambiguum est? Neg. cum Vasq. illust. contr. 96.*

XXXII.

Quod supra de deportato dictum est, extendimus ad bannitum imperij, *Gail. lib. 1. de pace publ. c. 19. Myns. 3. obs. 30. Non vero excommunicatum, nisi ob hæresin, Authent. Credentes C. de hæreticis.*

XXXIII.

Deniq; lege prohibetur testari ob crimen quoddam,

ut

ut manifestus usurarius, e. *quoniam 2. in fin. de usur. in 6.*  
hæreticus. *Auth. credentes C. de hæret. & manich. c. 19. de*  
*hæret. in 6.* ob carmen famosum damnatus, *l. 18. §. 1. ff. qui*  
*test. fac. poss. incestas nuptias contrahens, l. 6. & Authent.*  
*seq. C. de incest. nupt. Sacrum baptismum iterans, l. fin. C. ne*  
*sacrum baptismum iteretur; & omnis qui jure improbus inte-*  
*stabilisq; esse juberetur, l. 26. ff. qui test. fac. poss.*

XXXIV.

Tantum de personis testamentum facientibus: jam  
sequitur de modo testandi. Hic vero nititur certis juris  
regulis, secundum quas testari oportet, idq; fit vel fide  
publica, vel privata. Hinc testamentum aliud est publi-  
cum, aliud privatum.

XXXV.

Publicum est quod publica fide nititur, & fit quando  
testator ultimam suam voluntatem, aut Principi libello  
supplici consignatam offert: aut palam coram judice,  
eam declaratam vel scriptam petit ad acta publica reponi,  
*l. 19 C. de testam.* In hoc testamento testes nullos requiri  
veriùs est. *Hæn. disp. 7. th. 3.*

XXXVI.

Privatum est quod quis privata fide facit. Estq; vel  
solemne vel privilegiatum. Solemne rursus, vel scriptum,  
vel nuncupativum.

XXXVII.

Solemne scriptum testamentum adhibitis juris regulis  
constitui certum est. Eæ vero consistunt, tum in forma  
interiore, tum in exteriori.

XXXVIII.

Interior forma & ita tota testamenti substantia ab he-  
redes institutione dependet, *§. 34. Inst. de legat.* quæ est  
successoris à testatore facta designatio, *l. 1. pr. & §. 1. ff. de*  
*hered. instit.*

Exte-

XXXIX.

Exterior forma in solemnitatibus posita est. quas jus Civile propter majorem synceritatem ad amolendas fraudes requirit, vel circa testium adhibitionem; vel circa ipsum actum testandi.

XL.

In legitima testium adhibitione spectanda veniunt; singulorum idonea conditio: iustus numerus: rogatio.

XLI.

Conditione omnes testes sunt idonei cum quibus est testamenti factio, nisi expressè aliqui reperiantur prohibiti, *§. 6. Inst. de test. ord.*

XLII.

Reperiuntur autem prohibiti, quidam natura, quidam lege. Natura, ob vitium animi, vel corporis.

XLIII.

Animi, ut furiosus, prodigus, impubes, *d. §. 6. Inst. de test. ord.* Corporis, ut mutus, surdus, cæcus, *praell. §. 6. Inst. de test. ord.*

XLIV.

Hic non in concinnè quæritur, quoniam tempore testium conditio sit inspicienda? Nos tempore quo signarent eam inspici putamus, *per §. 7. Inst. de test. ord. l. 22. §. 1. ff. qui test. fac. poss. l. 1. C. de testam.*

XLV.

Non minus utiliter in disceptationem venit, an testamentum reddatur nullum, nec ex eo hereditas adiri possit, si testes minùs idonei adhibeantur? Quod in tantum verum putamus, si vel unus tantum inhabilis sit adhibitus, *l. 14. ff. de testibus l. 12. C. de testament.*

XLVI.

Lege prohibentur, Servus, *l. 20. §. 7. ff. qui test. fac. poss.*

B

poss.

poss. mulier, d. l. 20. §. 6 §. 6. *Inst. de test. ord.* heres scriptus, §. 10. *Inst. eod. l. 10. ff. de testib.* filius in testamento Patris, & Pater in testamento filij, adhuc in potestate constituti, §. 9. *Inst. de test. ord.* nec non fratres in eadem potestate existentes, §. 10 *Inst. eod.* & omnes quos ll. intestabiles esse jubent, §. 6. *Inst. de test. ord. l. 13. §. 1. l. 26. ff. qui test. fac. poss.*

#### XLVII.

Quod de servo dictum est, pari ratione extenditur ad deportatum & bannitum, §. 1. *Inst. quib. mod. jus pat. potest. solv.* non vero adscriptitium; non Monachum.

#### XLVIII.

Cur mulier in testamento testis esse nequeat, ratio est, non infirmitas consilij, ut Sneider. putat, nec falsitatis suspitio, quod Duar. placet: Sed eam nobis vetera testandi jura & maxima testamentorum solemnitas suppeditat.

#### XLIX.

Sed an de jure Canonico per *c. cum esses 10. & seq. X. de testam.* mulierem testem in testamento admitteremus? Nequaquam.

#### L.

Quin tamen in Codicillis admittatur mulieris testimonium, haud diffitemur. *Dec. in l. 2. n. 26. ff. de R. l. Han. disp. 11. th. 22.*

#### LI.

Legatarijs & fideicommissarijs, testimonium in testamentis scriptis propter §. 11. *Inst. de test. ord.* communis. Dd. schola non denegat: an vero in nuncupativo testamento concedi possit, non omnium est una sententia? Aff. placet.

#### LII.

Filius in sacris paternis adhuc constitutus non rectè adhibe-

adhibetur testis intestamento paterno : contrarium obtinet in filio emancipato.

LIII.

Hoc speciale est in quibusdam hæreticis, quod licet eorum testimonium in iudicio sit reprobum, in testamentis tamen admittatur, *l. 21. C. de hæret.*

LIV.

Testes in quolibet testamento septem adhibendi sunt, ob testamentorum soliditatem, ne circa eorum factiones committantur fraudes, *§. 3. Inst. de test. ord. l. 23. ff. qui test. fac. poss.*

LV.

Cur vero præcisè requirantur septem, anxie inquirunt DD. ? Probamus eorum opinionem, qui id eò factum asserunt, quod veteres peculiarem quandam vim & energiam huic numero septenario inesse putarint.

LVI.

Prædictus testium numerus adhuc hodiè in testamentis requiritur. Ita enim constitutum est in Comitibus Coloniaensibus, Anno 1512. Sub Maximil. Imp. tit. von Testamenten §. vnd sollen die Notarij &c. Non obstante *c. cum esses ext. de testament.*

LVII.

Quamquam non inviti largiamur, hunc solennem testium numerum statuto minui posse, *Gail. lib. 2. obs. 123. Myns. 5. obs. 20.*

LVIII.

Amplius requiritur, ut testes ad testimonium dicendum specialiter rogentur, alterius enim rei causa fortè rogatos, aut invitos, ad testandum non esse idoneos placet, *l. 21. §. 2. ff. qui test. fac. poss. l. 21. C. de testam. Authent. rogati C. de testib.*

B 2

Ex

LIX.

Ex his jucunda & utilis promanat quaestio, an ex imperfecto testamento ratione tolemitatum oriatur naturalis obligatio? Quod affirm.

LX.

Unde firmiter etiam concludimus, in tali testamento relicta in foro quod vocant conscientiae seu poli recusari non posse, modo ex certis indicijs contiet, testamentum illud ratione voluntatis esse perfectum, *l. 12. in fin. C. de testam.*

LXI.

Aliàs in foro quod dicunt fori seu Politico, adeo exactè tolemitates Juris Civilis, & imprimis septem testes requiruntur, ut testamentum etiam peltis tempore factum, coram minori testium numero nullum sortiatur effectum, *l. 8. C. de testam.*

LXII.

De testium adhibitione haectenus: jam de ipso testandi facto videbimus, quod consistit primò in voluntatis testatione, quam testator coram testibus declarat.

LXIII.

Haec si mystica est, testibus subscribenda & obsignanda offeritur, ita tamen ut & ipse testator subscribat, si literas sciat: sin minus, octavus adhibendus est, qui ipsius nomine id faciat, *l. hac consultissima 21. l. cum antiquitas 28. §. 1. C. de testament.*

LXIV.

Deinda consistit in contestatione testium, ut nomina sua subscribant, *l. 22 §. 4. l. 30. ff. qui test fac. poss. l. 21. in pr. C. de testam* signa & sigilla sua testamento apponant, *§. 2 Inst. de test. ord. d. l. 21. C. de testam.* & deniq; uno eodemq;

demq; tempore peragant & actum continent, *l. 20. §. 8. l. seq. §. fin. ff. qui test. fac. poss. l. 21. C. de testam.*

### LXV.

Requiruntur autem conjunctim hæc duo signatio & subscriptio in testamento. Etenim si quis inquit Ulp. in *l. 22. §. 4. ff. qui test. fac. poss. ex testibus nomen suum non adscripserit, tamen signaverit, pro eo est ac si adhibitus non esset: & si adscripserit, non tamen signaverit, adhuc idem dicendum.*

### LXVI.

Quo annulo testes ad obsignationem testamenti utantur, unõne omnes an pluribus, proprijs an alienis, nihil inter est, *l. 22. §. 2 ff. qui test. fac. poss. l. 12. C. de testam. §. 5. Inst. de test. ord.* Utrum vero annulo tantum, an vero alio quovis impresso & signo in testamenti obsignatione uti possint, pulcherrimæ videtur disquisitionis? Nos, veritate juris Civilis aspecta, præcisè annulum requiri putamus, *per l. 22. §. 5. ff. qui test. fac. poss.*

### LXVII.

At potestate contractus in testamento celebrari? Neg. *per l. 20. ff. de V. S.*

### LXVIII.

Hæ sunt solemnitates ad testamentum scriptum requisitæ, ex quibus si aliqua deficiant, ne tamen itatim testamentum in vitium incidat & corruat, solet plerumq; à testatore clausula Codicillaris apponi, ut nisi valeat quod scriptum est jure testamenti, valeat tamen jure Codicillorum. *l. 29. §. fin. ff. qui test. fac. poss. l. ult. C. de Codicill.*

### LXIX.

Succedit testamentum solemne nuncupativum, quo testator heredis nomen, aliq; quæ post mortem suam fieri velit palàm coram septem testibus, sic ut audiri & in-



telligi à testibus possit, nuncupat, unoq; contextu absolvit, *§. ult. Inst. de test. ord. l. 21. pr. ff. qui test. fac. poss.*

LXX.

Hinc easdem solemnitates, præter subscriptiones & signa, cum testamento solemniter scripto communes habet, *d. §. fin. Inst. de test. ord.*

LXXI.

Et licet postea in scripturam redigatur, non tamen ob id nuncupativum esse desinit; cum scriptura non ad Substantiam, sed ad majorem actus probationem perpetuamq; rei memoriam, pertineat, *l. 4. ff. de pignorib. l. 4. ff. de fid. instrum.*

LXXII.

Restat de testamento minus solemniter dispendium, quod nullis observatis solemnitatibus est factum, adeoque singulari valet privilegio.

LXXIII.

Hujusmodi primum est militare, quod milites in expeditione occupati coram duobus ad minimum testibus quoquo modo facere possunt, *t. t. Inst. ff. & C. de test. milit.*

LXXIV.

Quod privilegium ipsis, cum ob juris imperitiam: arma enim non illi scire præsumuntur, *l. fin. pr. C. de jur. de liber.* tum ob periculum cui pro Reip. commodo & salute sunt expositi, concessum est, *pr. Inst. de test. milit.*

LXXV.

Nuda itaq; voluntate transferunt hereditatem sine ulla solemnitate, eademq; illam rursus adimunt, *pr. Inst. de test. milit. l. 1. pr. ff. eod.* pro parte testati pro parte intestati decedunt, *l. 6. ff. h. t.* heredem rectè ad tempus instituunt,  
*l. 15.*

*l. 15. §. 4. ff. eod.* & alia multa paganis denegata, propter speciale privilegium, expediunt.

LXXVI.

Limitanei milites ut & hodierni eodem juris Civilis beneficij fruuntur. *Bocer, de bell. & duell. lib. 1. c. 28. n. 8. & 11.*

LXXVII.

Non vero lanij & id genus hominum qui castra sequuntur & victualia apportant, *arg. l. 1. l. 42. ff. de test. milit. l. 10. C. eod.*

LXXVIII.

Dd. & Advocati ambigua fata causarum dirimentes, licet non minus provideant humano generi, quam qui prælijs & vulneribus patriam salvant *l. 14. C. de advocat. divers. judicior.* attamen hisce privilegijs circa testamenti factionem non utuntur.

LXXIX.

Alterum testamentum privilegiatum est parentum inter liberos factum, sive id fuerit perfectum, sive ratione solemnitatum imperfectum, tamen valebit, quacunq; scriptura & quibuscunq; verbis coram duobus testibus relatum, *arg. §. 1. Inst. de test. milit.* modo non fuerit inofficiosum.

LXXX.

Si tamen testamentum manu Patris scriptum reperitur illud etiam testibus non adhibitis subsistere verius est. *l. ult. C. fam. heretice. Nov. 107. c. 1. Fach. 4. cont. 1.*

LXXXI.

Rusticanum quoq; testamentum privilegiatum est, utpote cui Justinianus remittit numerum solennem & subscriptionem testium, *l. ult. C. de testam.*

Deniq;

## LXXXII.

Deniq; testamentum ad pias causas collatum à strictis juris solemnitatibus eximitur, hoc enim duobus vel tribus testibus adhibitis conditum, valet, *c. relatum ext. de testam.*

## Corollaria.

### I.

*Commune parentum votum defert quidem liberis speratam successionem: Si tamen ingrati existant possunt ab ea per exheredationem repelli ob causas pares vel majores enumeratas in Novell. 115. cap. 3.*

### II.

*Qua cum cadere in posthumum non possint, ideo eum jure novissimo exheredari non posse firmiter concludimus.*

### III.

*Sumptus studiorum gratia filio suppeditates & utiliter factos collationi non subjacere sub distinctione asserimus.*

### IV.

*Item as alienum occasione studiorum in vita patris à filio contractum ex communi hereditate solvendum esse.*

Libri

V.

*Libri studiosorum in Musæum illati pro mercede hospitij tacitè non obligantur.*

VI.

*Qui mandat alicui ut alterum vulneret tantum, facta illi expressè inhibitione, ne eundem occidat, ordinaria l. Cornelia pœna plectendus non est, si mandatarius limites mandati transiliens eum occidat.*

VII.

*Quando plures citra deliberationem & occidendi animum conveniunt & in turba vel rixa casu exorta unicum vulnus infertur, ex qui vulneratus decedit, nec apparet quis illorum inflixerit: Tum isti omnes puniuntur quidem, non tamen ordinaria sed extra ordinaria homicidij pœna arbitrio judicis imponenda.*



C

IN



AD HUMANISSIMUM,  
Doctissimumq; Virum-juvenem,  
JODOCUM à BEREN,  
Respondentem.

**D**Vm solidè incūbis Virtutis carpere fructus  
Optime amice, soli maxima spes patrij:  
Dum placet, & gratum est Civilia noscere  
jura

Quæis nunquam poterunt regna carere diu,  
Ecce tibi prabet Codex fundamina certa  
Sensa docet Legum qui simul atq; Ducum.  
Volve, revolve diu, fontis libare liquorem  
Perge age, sic punctum sic subitò omne feras:  
Perge age depropera inceptum benè currere  
cursum,

Sic Helicon, sic te basset alma Charis.

Lucas Stolterfoe.  
Lub.  
Ergo



*Ad Ornatissimum Dn. Respondentem.*

**E**Rgo tu patriæ decus,  
Tu magnum auxilium rebus in asperis  
Implorantibus adferes,  
Si perges operi (sit vehemens licet)  
Consultum dare flammæ  
Lucis vim rapidam, jungere Cynthiam.  
Jam præsens opus hoc probat  
Te nil segnitæ, nil dare frivolis.  
Jam scandis cathedram virum  
Jam jam profer opus, pectore quod late  
Cultum, dilue fortiter  
Tricas, queis retrahunt in dubium tibi  
Pectus multiscium. Precor  
Ut texas avibus singula prosperis.

*Fridericus Philippus Clodius*  
H. W. C. F.



**F**Allor? an ambiguus Theseus ut fune relicto  
Dadalei quondam tecti remeabat ab antris:  
Sic utriusq; p̄ nunc dexteritate probat  
Ingenij peragras spaciosa volumina juris,  
Et justo rectum vocis moderamine proferens.  
Mome quid insultas? mordaci rodere falso  
Pecto-

*Pectoris ingenui famam num forte parabis?  
Scilicet hic labor est, virtus ubi lumine fulget  
Splendenti, claro tenebras obtrudere vero.  
Perge modo. cessas? justo sic tramite perge  
IUSTE lubens, anima pars o fidissima nostra,  
Nec cures falso crepitantes crimine morsus  
Sic Patria quondam Capitolia celsa subibis:  
Sicq; renascenti volitare per ora virorum,  
Gloria, virtutis precium, praebebit honore.*

*Contubernali atq; amico suo  
fraternè colendo*


*Iohannes Luderus Holsatus  
deproperabat.*











the scale towards document

V.

dioserum in Museum illati pro  
tij tacitè non obligantur.

V I.

ndat alicui ut alterum vulneret  
a illi expresse inhibitione, ne eun-  
, ordinaria l. Cornelia pœna ple-  
st, si mandatarius limites man-  
ns eum occidat.

VII.

plures citra deliberationem &  
imum conveniunt & in turba vel  
rta unicum vulnus infertur, ex  
us decedit, nec apparet quis illo-  
it: Tum isti omnes puniuntur  
n tamen ordinaria sed extra or-  
ia homicidij pœna arbitrio  
judicis imponenda.



C

IN